

pietate perpetuo servavit. Vigesimo annum agens a matre Ferrariam perducta in monasterio Corporis Christi religiosum sanctæ Claræ habitum sumpsit. Quo in loco ut lampas ardens cæteris splendescere, et virtutum omnium specimen præbere cœpit. Humilitas tanta ei inerat, ut viliora semper et lacera indumenta caperet, abjectiora officia exhiberet. Charitate erga omnes afficiebatur maxima. Nil vitabat, nil prætermittebat, quin foveret omnes sublevarique, præsertim infirmas, in quibus monialis caput sanie tabefactum nedium contingere et manibus abstergere, sed et lingua lingere sæpius non horruerit.

¶ Propter.
Lectio v.

TANTA erga errantes affecta erat commiseratione ut suam ipsius animam Deum precaretur in inferno exuri, dummodo illorum animæ ab incendio (si fieri posset), eriperentur. Obedientiæ virtute sic eminebat, ut semel tentata sese in flammam injecisset, nisi statim revocata ab illa se eruisset. Orationi assidua, sponsi sui amore flagrans, summa spiritus dulcedine potiebatur. Quare arcana cordium et secreta

cælestia sæpe ei sunt revelata. Cui et sanctus Thomas Cantuariensis manu deosculandam, et beatus Franciscus stigmata visenda aliquando præbuerunt. Animam Joannis, Episcopi Ferrariensis, in celum euntem, veluti stellam coruscantem, moniali qua tunc aderat, ostendit. Aliquando in missa, dum sacerdos præfationem perficeret, angelorum concentum ter Sanctus canentium, mira suavitate audivit; qui si diutius, ut ipsa retulit, perdurasset, procul dubio corpore resoluta foret. Fratrem in viam salutis reduxit. Sororis animam in celum euntem vidit: multa prophetico spiritu prædixit.

¶ Dilixisti.
Lectio vi.

CUM autem Bononienses, etiam fama sanctitatis eius permoti, monasterium Bononiæ in honorem Corporis Christi erexissent, ex Ferrariensi monasterio beata Catharina una cum quindecim monialibus, Bononiam ut illud monasterium regeret, mittitur. Quod quidem illa et virginum numero, et regulari disciplina auxit. Cumque octo et viginti annos adversa valetudine probata, postremum diem sibi immittere prævideret, convo-

catis sororibus monita salutis dedit. Sumptis deinde sacramentis, invocato Jesu nomine, beatam efflavit animam quinquagesimo ætatis suæ anno. Honorifice sepulchro ejus corpore, mirificus odor et sepulchro fragrare cœpit, et illic concurrentes plurimi infirmi sanati sunt. Post dies decem et octo exhumatum corpus inventum est incorruptum, et magno odore fragrans. Quod in ecclesiam delatum, ibi religiose asservatur integrum et multis clarum miraculis. Eam vero Clemens Undecimus solemniter Sanctorum catalogo adscripsit.

¶ Afferentur regi.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Basilii Episcopi.

Hom. 15. ad Bapt., circa finem.

VIDE ne, quando te pœniteat malorum consiliorum, cum nulla pœnitentiæ utilitas existit,

refrænnet te virginum exemplum. Illæ oleum in vasis non habentes, cum ipsas congregari cum sponso oportebat, tunc tandem senserunt rerum necessarium negligentiam. Quapropter etiam fatuas evangelium ipsas appellavit, quod tempus usus olei in circumveundo ac apparatu consumentes, non animadvertenter quod seipsas a sponsi hilaritate excluderent. Itaque et tu vide ne annum ex anno, et menses ex mensibus, et diem ex die differens, et non accipiens oleum luminis alimentum, incidas aliquando in diem quam non expectas: quando deficiet te de cætero vivendi processus, et consilii inopia et tribulatio imitigabilis fuerit.

¶ Hæc est virgo.

Lectio viij.

NEMO te inanibus verbis decipiat: instabit enim tibi repentina pernicies, et mors ad procellæ similitudinem aderit. Veniet angelus tristis abducens violenter, et trahens animam peccatorum vinculis alligatam et frequenter se convertentem ad ea quæ hic sunt, lugentem sine voce, instrumentum lamentationum de cætero concluso. O quam teipsum dilaniabis! O quantum ingemises! Frustra pœnitentiam ob mala consilia

agens, ubi videris hilaritatem justorum ob splendendam donorum distributionem; et tristitiam peccatorum in tenebris profundissimæ relegationis. 8. Media nocte.

LECTIO IX. de Homilia Peria.

FERIA SEXTA.

Ante Festum sancti

Joseph, Festum Coronæ D. N. J. C.

Duplex majus.

Angelopoli.

Hoc Officium incidere non potest ante Dominicam j. Quadrag., nisi Dominica Paschatis incidat in diem xvj. Aprilis, quo casu occurrente, legatur ex parte Verba.

EXORCISMUS

CONTRA IMMINENTEM TEMPESTATEM

FULGURUM, ET GRANDINIS.

PER signum ✠ crucis, veniat. ✠ Dominus vobiscum. ✠. Et cum spiritu tuo. ✠. De inimicis ✠ nostris, libera nos. ✠ Deus noster. In nomine Patris ✠ et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Dicitur Symbolum fidei: scilicet: **C**redo in Deum Patrem, etc.

Deinde Kyrie eleison.

Christe eleison. Kyrie eleison. **P**ater noster. ✠.

Adjutorium nostrum in nomine Domini. ✠. Qui fecit caelum et terram. ✠.

Sit nomen Domini benedictum. ✠. Ex hoc nunc,

et usque in sæculum. ✠.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus. ✠.

Et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. ✠.

Exurge, Christe, adjuva nos.

✠. Et libera nos propter nomen tuum. ✠.

Domine, desævientium deficiat et exaudi orationem meam.

✠. Et clamor meus ad te

veniat. ✠. Dominus vobiscum. ✠. Et cum spiritu tuo.

O remus. **Oratio.**

DOMINE Jesu Christe, qui fecisti caelum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt; quique flumini Jordani benedixisti, atque in eo baptizari voluisti, et tuas sanctissimas manus, et brachia sacratissima in cruce extendisti, quibus ærem sanctificasti: obsecramus immensam pietatis, et bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, et post me, et supra me, a dextris et a sinistris video ærem perturbare, dissolvere et annihilare digneris; ut alligata ponomen tuum. ✠. Domine, testas dæmonum imple desævientium deficiat et turbetur, ad laudem tui

sanctissimi Nominis, et potentissimæ majestatis tuæ: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R. Amen.**

Postea conversus ad nubes, signet eas signo **X** **dicens:** Circumdet te nubes Deus **X** Pater. Circumdet te Deus **X** Filius. Circumdet te Deus Spiritus **X** sanctus. Destruat te Deus **X** Pater. Destruat te Deus **X** Filius. Destruat te Deus Spiritus **X** sanctus. Comprimat te Deus **X** Pater. Comprimat te Deus **X** Filius. Comprimat te Deus Spiritus **X** sanctus. Amen.

Obsecratio. Sanctus Mattheus, sanctus Marcus, sanctus Lucas, sanctus Joannes Evangelista, qui Christi Evangelium per quatuor mundi partes divulgavit, ipsi suis meritis et precibus, hanc tempestatem a termino isto, et ab omnibus christianorum finibus, ab eodem Domino nostro Jesu Christo obtineant effugari et depelli.

EXORCISMUS.

Et ego peccator, et Christi sacerdos seu minister, licet indignus, auctoritate et virtute ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi summi Imperatoris, non mea potentia innixus et confisus,

vobis præcipio, immundissimi spiritus, qui has nubes seu nebulas concitatis, in virtute ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi, per **X** sanctissimam ejus Incarnationem, per sanctam Nativitatem, per Baptismum et Jejunium ipsius, per ejus sanctissimam Crucem **X** et Passionem, per sanctam Resurrectionem, per admirabilem Ascensionem, per tremendum Adventum ejus et Judicium, per merita intemerate semperque virginis Mariæ et sanctissimi **N.** et per merita omnium sanctorum ut exeat ab eis, et eas dispergatis in locis silvestribus et incultis; quatenus nocere non possint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuscumque rebus humanis usibus deputatis. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. Amen. Ipse vobis imperat, domones, qui has nubes cum movetis, de quo de nube lucida dictum est: Illic Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. **X** Ipse vobis imperat, qui sua sacratissima Cruce, et Corporis sui sanctissimi in ea extensione aërem purgavit.

X Ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, principem vestrum, mortemque devicit, et ligavit, atque aeternæ gehennæ mancipavit ignibus. **X** Ipse vobis imperat, qui inferno spoliato surrexit a mortuis. **X** Ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies, nube susceptus virtute sua ascendit in cælum. **X** Ipse vobis imperat, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. **A. Amen.**

Et postea ostendat crucem in aëra, dicens: Ecce lignum sanctissimæ Crucis, fugite partes adversæ: vicit enim vos et mundum Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, Imperator summus, leo de tribu Juda, radix David.

Postea aqua benedicta in modum crucis X aspergat quatuor latera. Dicenda sunt etiam lixianis; si nondum quærit tempestatem, Symbolum S. Athanasii. Quicumque vult. Añã. Salve Regina, et Sub tuam præsidium, Canticum. . . Benedicite omnia, cum ð. Gloria Patri, et Filio, in quolibet versu dicit Cantici.

Deinde ð. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. ð. Laudemus, et superexaltemus eum in sæcula. ð. Ora pro

nobis, sancta Dei Genitrix. **ð. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. X. Exurge, Christe, adjuva nos. ð. Et libera nos propter nomen tuum. ð. Domine, exaudi orationem meam. ð. Et clamor meus ad te veniat. ð. Dominus vobiscum. ð. Et cum spiritu tuo.**

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterno Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, aeternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper uniamur adversis. **Oratio.**

PROFUGE, Domine, famulos tuos subsidiis pacis, et beatæ Mariæ semper virginis patrocinio confidentes, a cunctis hostibus et periculis redde securus.

Oratio.

A domo tua, quæsumus, Domine, spirituales nequitia repellantur, et aërearum discedat malignitas tempestatum.

Oratio.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi, et aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus: ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præveniente, clementiam sentiamus.

Oratio.

LARGIRI et conservare
fructus terræ dignare,
Domine Deus noster: ut
temporalibus gaudeamus
auxiliis, et proficiamus
spiritualibus incrementis.
Per Christum Dominum
nostrum.

Potes dici et oratio illius
Sancti, in cuius honore
constructa est ecclesia, et
aliorum Sanctorum, in

quibus plus de eorum ad-
jutorio confidimus propter
specialem devotionem no-
stram. Possunt dici et alie
etiam devotæ orationes
cum compunctione et cor-
dis contritione, implo-
rando semper misericor-
diam Dei. Et si adhuc
tempus tempestuosum
perseveraverit, poterunt
supradicta pluries repeti:

FORMULA

PRÆSCRIPTA A SS. D. BENEDICTO
PAPA XIV

Pro impetienda benedictione cum indulgentia plena
his qui in articulo mortis sunt constituti.

Indulgentia plenaria ab ipso summo Pontifice con-
cessa pro omnibus Christi fidelibus in ulimo agone
constitutis, debet applicari ab Episcopo, vel a
sacerdote Episcopi ad id facultatem habente.

† A djutorium nostrum
in nomine Domini. **R.** Qui
fecit cælum et terram.
Aññ. Ne reminiscaris, Do-
mine, delicta famuli tui
(vel ancille tuæ), neque
vindictam sumas de pec-
catis ejus. Kyrie eleison.
Christe eleison. Kyrie elei-
son. Pater noster, etc. **Ÿ.**
Et ne nos inducas in ten-
tationem. **R.** Sed libera
nos a malo. **Ÿ** Salvum fac
servum tuum (vel ancil-
lam tuam et sic deinceps)
A. Deus domus sperantem
in te. **Ÿ** Domine, exaudi
orationem meam. **R.** Et
clamor meus ad te veniat.
Ÿ Dominus vobiscum. **R.**
Et cum spiritu tuo.

Oremus.

CLEMENTISSIME Deus, Pa-
ter misericordiarum,
et Deus totius consolatio-

nis, qui neminem vis
perire in te credentem,
atque sperantem, secun-
dum multitudinem mise-
rationum tuarum respice
propitius famulum tuum
(vel famulam tuam **N.**)
quem (vel quam tibi vera
fides, et spes christiana
commendat. Visita eum
(vel eam) in salutari tuo,
et per Unigeniti tui pas-
sionem et mortem, om-
nium ei delictorum suo-
rum remissionem, et ve-
niam clementer indulge:
ut ejus anima in hora exi-
tium sui te judicem propiti-
atum inveniat, et in san-
guine ejusdem Filii tui
ab omni macula abluta
transire ad vitam mereat
perpetuam. Per eum-
dem Christum Dominum
nostrum.

Tum dicto ab uno ex clericis adstantibus Confiteor, etc., Sacerdos dicat: Misereatur, etc.

Deinde,

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in baptis- mate recepisti: et ego facultate mihi ab apostolica sede tributa indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, etc.

PER sacrosancta humana reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes presentis, et futurae vitae poenas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducatur. Am.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos ei benedictionem impertitur.

MECHLINIÆ.

È TYPOGRAPHIA MANICQUIANA.

COMMEMORATIONES

CONSUETE,

SEU

SUFFRAGIA SANCTORUM.

COMMEMORATIO

de Cruce in seriali tantum Officio.

Ad Vesperas et Laudes.
Añã. Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster. *ŷ.* Omnis terra adoret te et psallat tibi. *ŷ.* Psalmum dicat nomini tuo Dómine.

Orémus.

PERPETUA nos, quæsumus Dómine, pace custódi: quos per lignum sanctæ Crucis redimere dignatus es.

De S. María, quando non dicitur ejus Officium parvum.

Ad Vesperas et Laudes.
Añã. Sancta María, succurre miseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intéveni pro clero, intécede pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámén, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem.

ŷ. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix. *ŷ.* Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

MEXIC.

Orémus.

CONCEDE nos famulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitate gaudere: et gloriósa beatæ Mariæ semper Virginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

Ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificat. dicitur:

ŷ. Post partum, Virgo, invioláta permansisti. *ŷ.* Dei Génitrix, intécede pro nobis.

Orémus.

DEUS, qui salutis ætérnæ beatæ Mariæ virginitate fœcúnda, humano géneri præmia præstitisti: tribue quæsumus; ut ipsam pro nobis intécedere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

De sancto Joseph, hujus Novæ Hispaniæ Patrono.

Ad Vesperas, Añã.
Ecce fidélis servus, et prudens, quem constituit